

Tunc cùm non possunt sínè converſione vitare peccatum; Deus nunquam deest, & si non præbet auxilium, quo peccator posſit immediate converti, aut servare mandatum, quod tunc servandum occurrit; tamen præbet saltē auxilium, quo posſit desiderare, & petere majus auxilium; quod si non facit, suā culpā illud non habet, & suā culpā in tentatione succumbit. Et in fine cap. 7. Restat igitur ut omnes homines semper habeant auxilium necessarium ad non peccandum, aut certè non possint non peccare, ac per hoc peccando non peccent, nec justè puniri queant. Ubi quot numerantur verba, tot spicula configunt adversarium statuentem nos peccati reos, & justè puniendos, si præcepta non servaverimus absente auxilio ad non peccandum, sive ad præceptum servandum necessario.

37 Quintæ & ultimæ prætensiæ suppositionis necessitas, non minus vana est. Quis enim sanæ mentis Theologus dixerit, neminem accusari posse sensus hæretici in primo Janseniano articulo condemnati, nisi usus fuerit voce *impossibilia*? Vetus quidem Tridentina Synodus, nè quis temerariā illā, & à Patribus sub anathemate prohibitā voce utatur, *Dei præcepta homini justificato ad observandum esse impossibilia*; Sed ideone licet idem significatum voce synonimā affirmare? Et quidem post Romanorum Pontificum contra Jansenium Constitutiones, in quibus non folius verborum sonus, sed maximè sensus Propositionum obvius, sensus ab Authore intentus proscriptur, & ut hæreticus jubetur ejurari ab omnibus, qui ad Alexandrinæ subscriptionem Formulæ adiunguntur? Et quæ alioquitam Sacrosancta Fidei definitio est, aut quæ hæreses condemnat, quæ non facilimè eludatur, si liceat aliis vocibus negare sensum definitum, aut retinere, afferere, defendere condemnatum? Sic etsi definitum sit, Christum esse verum hominem, negare hæretico in promptu foret Christum esse animal rationale, & quotiescumque decernitur definitum, negari de eodem posset definitio.

38 Præcepta hominibus esse observatu impossibilia, & homines præcepta observare non posse, vocabula parum diversa sunt, sensus idem: ita visum semper fuit SS. Patribus: & quisquis Latini idiomatici non ignorans est, idem utrobique intelliget. Sic Augustinus vocibus illis promiscue ut synonimis utitur. Qui enim libro 2. de peccatorum meritis, & remissione cap. 3. dicit: *Nec præcipere Deus homini, quod effet humana impossibile voluntati*, Lib. de naturā, & gratiā cap. 67. ait: *Quacunque ista causa est voluntatis, si non potest et resisti, sínè peccato ei ceditur...* An tanta

fallacia eß, ut caveri omnino non possit? Si ita eß, nulla ergo peccata sunt. Quis enim peccat in eo, quod caveri nullo modo potest; peccatur autem; caveri igitur potest.... Sive ergo immineat (tentatio) sive instat, caveri potest.

39 Quare interrogatus Belga Theologus à suo Antistite, quantum Doctor N.N. distaret à Jansenismo? Non incongruè respondit, eum distare, quantum *impotentia servandi præcepta* distat ab *impossibilitate*. Atqui, inquietabat Antistes, idem est hominem non posse servare præcepta, & esse ea homini ad servandum impossibilia. Ita, respondit Theologus, & mihi semper visum est; sed acuti homines discrimen in eo situm perspicunt, quod impossibilitas teneat se ex parte objecti, *impotentia* ex parte subjecti: priore locutione indicari impossibilitatem præceptorum secundum se, propter nimium, quod secum afferunt onus: posteriore tantum indicari defectum virium in subiecto. Sic volatus secundum se non est impossibilis, cùm aves volitent; sed nobis deest volandi potestas, defectu alarum, quæ omni animali sunt ad volandum necessariæ. Hoc autem (ajebat Episcopus) discrimen si sufficeret, posset nobis Deus volatum præcipere, non volantibus æterna inferre supplicia, causando, defectum virium in subiecto non excusare, modò non sit impossibilitas objecti. Quæ cavillatio indigna est Theologo, & quovis prædicto ratione.

40 Parum itaque, imò nihil ad vindicandum Quesnellum ab hæresi propositionis primæ Jansenianæ conduceret; si nunquam voce *impossibilia* usus fuisset, quando ostendimus eum clarissimè æquivalentes adhibuisse. Non enim nudus verborum sonus, sed sensus maximè hæresim facit.

41 Denique est cur dubitem an non restrictioni obnoxium sit, quod ait Quesnellus vocem *impossibilia*, ubi de præceptis agitur, in nullis unquam suis scriptis reperiendam. Non enim inficiabitur se esse Authorem libri, cui titulus *Defense de l'Eglise Romaine, & des Souverains Pontifes contre Leydecker*. Edita autem defensio est sub nomine Domini Germain, & censemur prosecutio operis *Tradition de l'Eglise Romaine sur la grâce par Mons. Germain*, ubi & Authoris nomen idem convenit, & materia operis.

42 Hic tom. 3. parte 2. cap. 4. toto art. 2. sati prolixo, plus quam 20. paginas implet, ut ostendat quod non posse, & impossibile, unum idemque sint. Quia, inquit, nihil mibi possibile eß, nisi quantum mibi adeß illud faciendi, omitendi ve potestas, atque eatenus erga illud liberum. Pari ratione nihil mibi impossibile eß, nisi quantum nunc me deficit potestas, vel partim, vel